

Π i  
814

*Comparatio Olygia et ...*

AD

**VALEDICTIONEM**

**DISCIPULI NOSTRI,**

**INFRA NOMINATI,**

**CRASTINALUCE,**

**FINITIS SACRIS,**

**IN AUDITORIO MAJORI,**

**HABENDAM,**

**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**

**PATRONOS, FAUTORESQUE JUVEN.**

**TUTIS STUDIOSE,**

**PRÆSENTIBUS LITERIS**


**PER OFFICIOSE AC PERAMANTER**

**INVITAT**

**M. GEORGIUS ANDREAS Binbold, R.**

*CYGNÆ,*

**LITERIS FRIDERICIANIS.**





Um valetudinis humanæ curam sibi vindicet Medicina, quæ, ut Celsus, Latinus ille Hippocrates, loquitur, ægris promittit sanitatem; ut alimenta sanis corporibus agricultura; idcirco venerandum ejus nomen, non absque ingenio, Latini Scriptores ad res varias accommodarunt, quarum conditio opem aut levamentum aliquod exigere videbatur. Ita enim Reipublicæ perturbatione medicinam afferre, a literis medicinam petere, dolori medicinam struere, medicinæ falsis criminibus ad versarii faciendæ locum dare, ipsam voluntatem, cum omnia concussa jacent, medicinam efficere, malis singulis consilii & orationis medicinam parare, incommodis medicinam reperire, cupiditatem medicinam sanare, se solari medicina, erranti confessionem pro medicina esse, vitiosas partes reipublicæ medicina sanare, animi & curarum medicinam desiderare, medicinam calamitatis, periculorum invenire, & similia, passim legimus. Inde adeo factum est, ut idem illud nomen, præter morborum curationem, iis porissimum disciplinis illustrandis assignetur, quarum omnis cura in pellendo aliquo malo versatur, sive mentem illud attingat, sive voluntatem hominis ac mores. Jam primum medicinæ consideratio amplum sibi locum facit in rebus sacris tradendis; sicut ex operibus atque literis patet Theologorum. Sanitatem hæc tunc commodam conservare, aut amissam recuperare studet Medicina: Theologia viam monstrat, qua peccatorum onere levati, gratiam cœlestem, quam a Deo consecuti sumus, religiosa custodia teneamus. Utraque tum Theologia, tum Medicina originem suam ex cœlo reperit, Deumque autorem veneratur. Utraque duabus tanquam futuris sustinetur; illa ratione atque experientia; hæc autoritate scripta Prophetarum & Apostolorum, cum quibus quicquid bene conspirat, in sapientia divina rectum, genuinum, candidum probæque monet; quicquid contra non consentit, spurium, rejectaneum & adulterinum existimatur. Utriusque laus actionem & operationem redolet; quamvis contemplationes utrinque præluceant quam plurimæ. De Medicina res in aprico posita. De Theologia si quis ambigere vellet, (quanquam quis esset tam infans, qui ambigere & soli meridiano faciem accendere conetur) si quis tamen ambigat: Ipsius Domini vocem non magis corporis auribus, quam attentione animi audiat: Hæc si sciveritis, beati, si feceritis: (a) Audiat S. Justinum ita statuentem, non in verbis, sed in factis res Christianæ religionis consistere. (b) Audiat Laëtantium: Qui bonitatem loquuntur, cæterum eam non habent in pectore, eos non aliter intueri decet, quam Medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. (c) Audiat Joh. Gerhardum, integra pietate virtum, qui male, inquit, vivitur, ubi, non de Deo recte creditur; sed vicissim inutiliter creditur, ubi non bene vivitur. Vera fides non est interius, ubi opera non apparent exterius; qui non ambulat in luce, non sunt filii lucis. (d) Capita fidei sigillatim facile fortassis fuerit ad medicinam transferre. Ipsum Dei Verbum præsentis medicinæ pollens vi omnia sanat. Mundus mundique administratio tam sapiens, resque in eo existentes tam benigne dotata a Creatore O. M. hominem quemvis invitant ad verum Deum, si nondum ille cognoverit, querendum, ob animæ curationem. Homo quilibet, post sanitatem primi ortus, i. e. imaginem Dei amissam, in peccata prolapsus, quantus quantus est, peccatorum fordibus inquinatus est; nec se suis viribus curare ipse valet, morti exponendus semperternæ, nisi adhuc vivens, ope cœlesti, quodam modo ad valetudinem pristinam reducat. Deus ipse Potentissimus, Sapientissimus, Benignissimus existit Medicus. Pater quidem propensissima voluntate ægritudines sanatur omnium, modo ægros bene morigeros inveniat; singulari certe favore elegit repurgatos fide constanti, quos in fedibus æternis demum est collocaturus ab omni morbi contagione immunibus, simul vitam cum morte commutaverint. Filius medelam procurans humanis vulneribus, fusione sui sanguinis, quo medereretur languoribus omnium, miserando mortis genere, teterrimos cruciatus sustinendo, pro medicamine efficacissimo animam expiravit. Inde femetipsum vocat Medicum, cujus medicamentis non opus habeant bene valentes, sed infirmi. (e) Et felicitatem humani generis prædicaturus Augustinus sic disserit: Ingressus est Christus locum, ubi jacebat magna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, & cum esset Medicus & animarum & corporum, & qui venisset sanare omnes  
animas

animas credentium, de illis languentibus unum elegit, quem sanaret, ut unitatem signi-  
 ficaret. (f) Spiritus S. tam care partam medicinam offerendo conferendoque salubriter  
 applicat, salutariter obfignat, idque agit opera velut medica, ut ægotantium animi, post  
 auditum consilium Dei, post conversionem mœroresque sacros, post firmiter nixam in  
 Sospitatore divino fiduciam, Dei gratiam, iustitiam, filiorum charitatem, lætitiã, pacem  
 & intimam cum Deo amicitiam consecuti, virtutum Christianis hominibus digna-  
 rum cultu exercitioque inter alios ab his sacris aberrantes, sicuti lumina inter tenebras,  
 eluceant. Lex divina morbi magnitudinem potest ostendere: tollere eundem ac sanare  
 non potest. In Evangelio omnibus vera fide fretis ista sanatio promittitur atque  
 proponitur. Atque ut Cœna Sacra, teste Ignatio, medicina est immortalitatis, remedi-  
 um mortis, medicamentum omnia mala propulsans: Sic Lavacrum Regenerationis in-  
 fantibus gratiam fœderis confert; adultis credentibus confirmat, ad recuperandam ani-  
 mæ valetudinem. Quamvis enim (loquar verbis Seb. Schmidii, Theologi Argentora-  
 tensis) aqua Baptismi physice animam mundare non possit; habet tamen ex institutione  
 divina, ut veram animæ purificationem apud nos efficiat. (g) Jam fides ipsius ægroti  
 os aut stomachus quidam saluberrima cœlitus demissa recipit pharmaca. Bonis operi-  
 bus, tanquam sobria diætã, fidem demonstramus. Calamitas manu Omnipotentis im-  
 polita, medicamentum illud amarum, castigati salutem, fidei documentum, fugam ma-  
 lorum, affectuum impotentium potest efficere. Orationis vim medicinalem ubique  
 sentiunt pii, malis aut levatis, aut omnino ablatis, contra ea bonis in illorum locum suc-  
 cedentibus. Homines student convertere Ministri sacri, tanquam Medici a Summo  
 Medico Domino dependentes. Regnorum, Gubernatorum, tabulæ utriusque custodes,  
 dum publicam disciplinam in republica Christiana tuerentur, sæpius & vulnera immedi-  
 cabilia ense recidunt, dumque cavent, ne partes sinceræ corporis trahantur mala tabe: sa-  
 ne ægotantibus societariis suppetias ferunt. Matrimonii medelam ipse gentium A-  
 postolus declarat. Hæc vero omnia in Ecclesia, quasi in Officina operationum divina-  
 rum, fieri videmus; usque dum post mortem, resurrectionemque mortuorum, status  
 ille prosperrima valetudine felicissimus & florentissimus in vita beatissima initium est  
 habiturus. De Christo Medico notetur Fulgentii sermo: Aut homo nescius morbum am-  
 plectitur: aut plus ægotat, dum non a Medico poscit, sed ipse nititur adhibere remedi-  
 um. Unde lethali morbo vel ignorantia, vel superbiæ prægravatus, nec Medicum requi-  
 rit nec in se effectum veræ sanitatis invenit. (h) Unde oratio illius omnes ad se invitans,  
 quasi ad asylum, refectoremque promittens laborantibus & morbis animæ delassatis  
 oratio medica ægotantis animæ dicitur Strigelio. (i) Sed tali medela non fruuntur illi,  
 quibus fucus placet pro vera fide, quique fumum vendunt, & speciosò vultu prodeunt  
 pietatis, re ipsa vero aliis imponunt; neque illi, quorum pectora propriæ iustitiæ opinio-  
 ne factuque turgent; aut qui profana mente sacram tristitiam, & ex ea salubritatem Me-  
 dici optimi nescientes, tam gratiosam, tam efficacem medicinam aspernantur, omnique  
 spe deposita, a conspectu, a molli ore Sospitatoris Clementissimi refugiunt. (k) Horum  
 improbitas eo detestabilior, quo sæpius ipsi suæ miseræ culpam Deo sanctissimo tribu-  
 unt, ac si sua gratia ipsos prævenire nollent; qui tamen voluntates aliorum  
 ita præveniri & immutari audiunt. Isti, ut graviter deis iudicat dictus Fulgen-  
 tius, suis manibus inferunt plagas, ac Medico non dubitant irrogare calum-  
 niam, tanquam causa occisionis propriæ non in illo sit, qui seipsum interfecit, sed in  
 eo, qui minus ei salubri ratione subvenerit. Medicina quippe non mortis, sed curationis  
 est causa, cui utrique non recte mors ascribitur, si pessimo vulnere, quod sibi homo intulit,  
 minime præbeat. Iustitia quippe est, si vulneratus ille relinquatur, ut mortem, quam  
 sibi spontaneis operibus ascivit, inveniat; misericordiæ autem, si ab eo Medicus mortis  
 perniciem beneficio gratiæ orationis excludat. Tanto ergo iniquius Medici beni-  
 gnitas infamatur: quanto minus spontanea perniciis hominis se ipsum vulnerantis at-  
 tenditur; quam si in se querulus peccator intuens disceret, non divinam voluntatem ad  
 excusationem suæ iniquitatis opponeret, sed humiliter misericordiam postularet. (l)  
 De Poenitentia illustris habetur locus Lactantii asseverantis, Deum scientem imbecilli-  
 tates

81/1  
 tates nostras, pro sua pietate homini portum salutis aperuisse, ut huic necessitati, cui fragilitas nostra subiecta sit, medicina pœnitentiæ subveniret. Item: Purgemus conscientiam, quæ oculis Dei pervia est, & semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur. Vulneribus nostris nemo alius mederi potest, nisi solus ille, qui gressum claudis, visum cœcis reddidit, maculata membra purgavit, mortuos excitavit. Ille ardorem cupiditatis extinguet, extirpabit libidines, invidiam distraheth, iram mitigabit. Ille reddet veram & perpetuam fanitatem. Expetenda est hæc omnibus medicina, quoniam majori periculo vexatur anima, quam corpus, & quamprimum latentibus morbis adhibenda curatio est. Neque enim, si utarur aliquis oculorum acie clara, membris omnibus integris, firmissima totius corporis valetudine; tamen eum dixeris sanum, si efferatur ira, superbia tumidus infletur, libidini serviat, cupiditatibus inardescat: sed eum potius, qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem sancte videat, nihil omnino appetat, nihil concupiscat aliorum, non invideat ulli, non fastidiat quenquam, sit humilis, misericors, beneficus, mitis, humanus, pax in animo ejus perpetuo versetur; ille homo sanus, ille iustus, ille perfectus est. (m) Est vero in hac comparatione, qua rerum divinarum sapientiam cum arte componimus valetudinis bonæ effectrice, magna cautio adhibenda, ne mentis aciem extra metam, atque, ut sic dixerim, extra spheram intentionis divagari sinamus. Unicum exempli loco afferam. Medicinam salutarem constat ex regeneratione quadam esse, quando spiritus vitalis in corpore humano ab impuris morborum tincturis emundatur, in vigorem suum naturalem revocatur, redintegratur, & denique valor corporis & robur sine labe, sine languore, sine ægritudine malive langventis tentamine invalescit. Hic si quis a Theologia in hac mortalitate talem speraret perfectionem, ut regeneratus ac renovatus nullam sensurum se crederet peccati maculam, & ad malum inclinationem: is sane toto, quod ajunt, cœlo erraret. Tantum de medicina Theologica, occasione discipuli nostri Academiam accessuri, cui medicinam animæ e cœlo repetendam his literis etiam atque etiam commendatam cupimus. Is est


**GEORGIUS FRIDERICUS TEUCHERUS**, Crimmitschavia-Misnicus, ex numerosa Teucherorum familia ducens genus. Patrem præmature fato sibi ereptum ipse infans non satis agnovit, **JOH. CHRISTIANUM**, Aditum quondam Crimmitschaviensem. Sed adhuc vivos colit grandævos Senes, paternum maternumque Avum; illum quidem Ludimoderatorem Marbacensem; hunc autem Pastorem Gablitiensem, utrumque emeritum, & longos per annos bene functum suo munere; utrumque in nepotem impense benevolam, ac pro nepotis salute, ut par est patribus vicariis, vehementer sollicitum. Auget sollicitudinem spes propior discessuri, quippe quem non frustra apud nos hæsisse intelligunt. Nam, ut reliqua taceam, bonum Musicum, bonum Poëtam in lingua patria & Latina, nec malum Oratorem se nobis præbuit. Et ne arroganter ista a nobis ita dici videantur, Tuo, Lector Benevole, omnia iudicio permittimus. Ante vero quam valedicat Cygnæ suæ, cujus in se benignitatem gratus agnoscit, dicturus est quædam de Musica cœli Pythagorica. Huic applaudet, præmissa oratione de musica Germanorum, maxime opificum, Magisteriali, egregius Juvenis,

**FRIDERICUS LEBRECHT GOETZIUS**, Cygneus. Deus abeantis adspiret cœptis, nostraque vota non irrita esse sinat! P. P. Cygnæ d. XI. May. MDCXXXI.

(a) Joh. 13, 37. (b) Cohort. ad Græc. (c) l. 3. Divin. Instit. (d) Præf. in Medit. (e) Matt. 9, 12. (f) Exposit. in Joh. Tr. 17. (g) Disp. de Efficacia Sacrament. conf. Sam. Bened. Carpovii acutissimi & summi quondam in Aula Dresdensi Theologi, Anti-Masenius p. 750. (h) d. Verit. Prædel. & Gratiz. (i) Conc. l. d. Pass. Dom. (k) Osiander ad Matt. 9. (l) l. c. (m) l. c.

X 2983751

MLC



FK 154  
15.  
*Comparatio Olympe et Medicinæ*

ii  
814

AD  
**VALEDICTIONEM**  
**DISCIPULI NOSTRI,**  
INFRA NOMINATI,  
CRASTINA LUCE,  
FINITIS SACRIS,  
*IN AUDITORIO MAJORI,*  
HABENDAM,  
**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**  
**PATRONOS, FAUTORESQUE JUVEN-**  
**TUTIS STUDIOSE,**  
PRÆSENTIBUS LITERIS  
PER OFFICIOSE AC PERAMANTER  
INVITAT  
**M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold, R.**

CTGNEÆ,  
LITERIS FRIDERICIANIS.

